Duplicate

DISPUTATIO MEDICA
De
PESTE,
PRIOR.

Quæ de

PRÆSERVATIONE.

Præſide

Clariſsimo Viro,

D. GERARDO BLASIO, Med. Doctore & Profeſſore Publico,

Reſpondente

CORNELIO de VOGEL, Amſt. Bat.

Placidæ Eruditorum diſquiſitioni

In Illuſtri Amſtelodamenſium Athenæo ſubjecta

Ad diem 3 Novembris, horis ſolitis.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM RAVESTEINIUM.

Conſpicuo ac Honorando Viro,

D. JACOBO POPTA,
Mercatori induſtrio, Cognato colendo.

NEC NON

Eruditiſsimis ac Doctiſsimis Iuvenibus.

D. PETRO BODDENS,
D. SIMONI de VRIES,
D. JOACHIMO CORDES,
D. DILIFIO BLOCK,
In Amſtelodamenſium Gymnaſio Studioſis Medicinæ diligentiſſimis, Amicis ſummis,

Hanc de Peſte Diſputationem priorem

D. D. D.

CORNELIUS de VOGEL,

Reſp.

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

DISPUTATIO MEDICA
De
P E S T E,
P R I O R.

Thesis I.

INter Morbos omnes, qui ut corpora ægrotantium, ita Medicorum ingenia, exercuêre hactenus & adhuc exercent, principatum merito tribuimus Pesti, cujus nomen adeò inviſum, adeò terribile, ut homines eo ſolum audito, hinc indè diffugiant. Illa eſt quæ inſperato quoſvis jugulat, parentes liberis, liberos parentibus, amicos amicis, inferiores ſuperioribus, ſubito privat; Illa quæ civilem converſationem turbat, & vel inter conjunctiſſimos familiaritatem ſolvit.

II. Horrenda hac lue Celeberrimam hanc noſtram Rempublicam incolentium plurimos hocce tempore correptos non ſine commiſeratione ſummâ, reprehendimus. Decumbunt anxii, opem omnium, quo à crudeli illo malo liberentur, medicorum maximè, ſummoperè, anhelo pectore, mente conturbatâ, implorantes. Noſtrum eſt, quantum per corporis diſpoſitionem fieri poterit, graviter adeò afflictis ſuccurrere; noſtrum, haud facere alteri, quod nobis fieri nolumus. Vires acquirens eundo morbus, vires acquirat condolentia noſtra, opere ipſo ſeſe omnibus manifeſtans, exigit. Accelerat malum, accelerent & remedia noſtra.

III. Hæc dum perpendo, etiam mei muneris eſſe video, quocunque fieri poterit modo auxiliares præbere manus, iis, qui miſerè adeò decumbere notantur. Eapro-

pter haud alienum ab officio meo æſtimavi, ſive Profeſſio, ab Ampliſſimo Florentiſſimæ hujus Reipubl. Magiſtratu mihi demandata, ſpectetur, ſivè Praxis medica, quam cum aliis Collegis exercere hactenus neutiquam intermiſi, ſcripto quodam ſuccincto Rempublicam noſtram patriam, ipſiuſvè incolas à ſæviſſimâ illâ lue, quantum fieri poterit, liberandi methodum veram proponere, quo ſic conſilio ſaltem conſolarer illos quibus præſens eſſe minus commodum.

IV. Duobus ſummis Capitibus diſcurſus hic comprehendi videtur, Præſervatione nempè, & Curatione ipſâ Illa ſanitate adhûc gaudentes ſpectat, hæc peſte jam correptos. Illa hoſtem advenientem adoritur, hæc admiſſum.

V. Præſervatio utiliſſima, imò ſumme neceſſaria, facilius enim eſt hoſti ingredienti armatâ manu reſiſtere, quam eundem penetralia jam ingreſſum, & focos occupantem, expellere.

VI. Occupatur ea circa triplex illud medium medicum, Diætam, Pharmaciam & Chirurgiam, præmiſſâ ſincerâ peccatorum noſtrorum confeſſione.

VII. *Diæta* Rerum non-naturalium, Aeris ſcil. Cibi & potus &c. uſum convenientem denotat. Hæc quam difficulter à Medico præſcribitur, cum ſæpè temperiei, vitæ generis, ætatis, ſexûs, ſimiliumvè circumſtantiarum ſit habenda conſideratio, tam noſtrum erit omni modo, ut, quam fieri poterit, omnibus & ſingulis accommodatiſſima exhibeatur, allaborare.

VIII. *Aëris* in malignâ ejusmodi, contagioſâque conſtitutione ſummam habendam eſſe rationem, non ſolum qui univerſalis eſt & publicus, verum & qui particularis magis, ædibus & cubiculis privatis incluſus, vel plebi notiſſimum, utpotè ipſum mali fontem unicè ferè agnoſcenti, & hinc totam præſervationis, imò & curationis ſpem in ejus correctione fundatam perhibenti. IX. Cor-

IX. Correctio hæc quibus mediis peragi poſſit & debeat, in ſequentibus, ubi de Cauſarum Peſtis emendatione verâ ſermo habendus, particulatim exhibebimus. Suffecerit hoc loco quibus ſe munire ſanus adhuc poſſit, ne à vitioſo aëre lædi facilè queat, indicaſſe.

X. Primarium inter hæc *Loci* eſt *mutatio*, modò timorem Omnipotentis ſibi conjunctum habeat, & in morbi principio fiat, ad diſſita valdè, nec repetatur niſi ſublatâ jam ſævitie, juxta vulgatum verſiculum

Hæc tria tabificam tollunt adverbia Peſtem
Mox, Longè, Tardè, *cede, recede, redi.*

XI. Huic ſuccedit, in iis maximè, quorum conditio haud permittit locum mutare, minor ſolito *cum peſte correptis converſatio*, vitando non ſolum colloquia, verum & ædificia, quibus morbo eo jam infecta detinentur, imò loca omnia magis aliis impura, ut cœmiteria &c.

XII. Affine huic medium eſt *neglecta eorum, quæ peſtilentialem cauſam ab infecto, etiam abſente, in ipſum deferre valent, uſurpatio*, ubi locum maximè habent converſationes cum iis qui Peſte laborantibus adſunt, & alimentorum, potulentorum, ſupellectilium, veſtimentorum, integumentorum aliorum, ſimiliumque, vel ab ipſo decumbente aut jam demortuo uſurpatorum, vel ſaltem ex ædibus in quibus infectus detinetur deportatorum, uſus, intermiſſi.

XIII. Univerſale magis medium *Antidotorum S. Alexipharmacorum* eſt *uſurpatio*. Hæc quæ & qualia poſſint eſſe, mox ubi de pharmacia, proponemus.

XIV. *Cibus* & *Potus* ita ſunt moderandi, ne eorundem indecenti uſu peſtis vel citius invadat, vel gravius affligat. Conſuetudini in genere multum hîc tribuendum, adeoque hoc aut illo uti qui aſſuevit, haud facile alia præſcribenda. Alias ferè conveniunt Alimenta boni ſucci, facilisvè digeſtionis, Herbis, Aromatibus, Succis, Fructi-

 bus,

bus, inter alexipharmaca mox recenſendis, nonnunquam & frigidioribus, pro conditione temperiei, anni temporis, aliarumvè circumſtantiarum, variè alterata. Fugienda maximè quæ valdè dura ſunt, ſalſa, mucida, viſcoſa, pinguia, dulcia, facile corruptibilia.

XV. Nec ſolum habenda ratio Qualitatum in alimentis, verum & Quantitatis. Mediocritas atque temperantia hic multum valent, fames ut fugienda, ita & nimia corporis repletio.

XVI. Temporis quoque in aſſumendo cibo habenda maximè conſideratio, quod ordinarium quidem ſervari conſultum, at præterea, etiamſi inſuetum, matutinis horis antequam publico ſe committat homo, alimenti aliquam quantitatem ventriculo offerre tenetur, ubi valdè commendant Medici uſum panis butyro pingui incruſtati, ſolius, aut caſeo viridi addito, ſuperbibito cereviſiæ poculo.

XVII. In Modo iis utendi hoc tempore maximè exigimus, quod, ſi neceſſe, purificata ſint, aquâ clarâ aut aceto; imò & varietas in unâ menſa valdè fugiatur. Elixa ſivè fuerint, ſivè aſſata, parum referre cenſeo.

XVIII. *Potûs* Quantitas Alimentorum conditioni in Quantitate & qualitate reſpondeat, ebrietas cane pejus fugienda.

XIX. Convenit Cereviſia tenuis, clara, defœcata; Vinum quoque tenue in frigidioribus & debilitatis. Nocet Cereviſia craſſa, impura, calida, Vinum etiam generoſum, imò & ſpiritus ejus, niſi natura hominis annique tempus eam exegerint.

XX. *Somnus & Vigiliæ* conſuetos limites haud excedant; imprimis autem noxius valdè ſomnus meridianus, & maximè qui ſub dio, niſi conſuetudo, aut aliæ cauſæ, eum exegerint.

XXI. *Mo-*

XXI. *Motus Corporis* immoderatus multa pericula ſibi habet conjuncta, præſertim in iis qui haud ita aſſueti.

XXII. *Animi* verò *motus* inordinati quid conferant ad Peſtem inducendam, Terror maximè & metus, vulgò ſatis conſtat, & experientia probat, quiete itaque ſit homo animo, hilaris, imperterritus, ſe ſuaque omnipotentis voluntati ſubjiciens.

XXIII. *Excretiones* ordinariæ quod ſi haud debitè ſe habuerint, corrigendæ. Ita Alvus alimentis emollientibus, aut lenitivis medicamentis, inter quæ excellit Tamarindorum pulpa, ſemper aperta ſervanda. Capitis excrementa Tabaco, cujus in peſte ſummus uſus, ſufficienter educuntur. Venus nimia, quam noxia, exempla docent.

XXIV. *Veſtimentorum* quoque non parvus hîc delectus; præſtant ex ſerico, corio, aut lanâ camelinâ, confecta, eaque munda. Ex pellibus, contrà, lanâ, ſimilique materiâ quæ parantur quid valeant ad cauſam Peſtis ſervandum atque ad alios deferendum ſatis conſtat.

XXV. Integumenta nocturna ſimilis conditionis ſint, aut ſaltem tenuia, nitida. Lectus haud ita convenit mollis, præſertim calidioribus, & tempore æſtivali. Quod ſi ſudor ſe oſtendat, linteo mundo benè auferendus.

XXVI. *Balnea* omni modo nociva, maximè in non adſuetis, diuturniora, calidiora, pleno ventriculo uſurpata; iis tamen qui uti velit, conſultum valdè antidotum aliquod, ut Theriacam &c ſub ingreſſum adſumere, & hinc corporis ſui, ne ſubita fiat mutatio, habere debitam conſiderationem, ut omnes tenentur ſudoribus nocturnis aut diurnis obnoxii. Balneis magis noxiæ natationes in fluminibus & aquis ſtagnantibus.

XXVII. *Pharmacia* varia ſuppeditat, quæ tamen omnia vel purè Antidota ſunt, vel inſuper impuriores

humores educentia. Utraque Simplicia ſunt, aut Compoſita, reſpectu uſûs interna aut externa.

XXVIII. Melioris cognitionis gratiâ primò ea proponemus, quæ officinis jam parata aſſervantur, *officinalia* hinc vocata, mox quæ exindè à medico in rem præſentem commendantur aut præſcribuntur, *extemporanea* ob id vocata.

XXIX. *Antidotorum* officinalium ex multis hæc poſſunt eſſe præcipua. *Radic.* Ariſtoloch. Angel. Biſtortæ, Diptamni, Cœparum, Contraiervæ, Calami aromat. Helen. Pimpin. Petaſitid. Tormentill. Zedoar. Ireos. *Herb.* Abſinth. Artemiſ. Acetoſ. Abrotan. Borrag. Bugloſſ. Card. bened. Centaur. min. Meliſſ. Marrub. Ruthæ, Scord. Scorſon. Verben. Tanacet. *Flores* Calend. Croci, Roſar. Sambuc. Stœchad. *Fructus* Aurant. Citria, Cydon. Berber. Ribes, Granat. eorumque *Cortices* & *Succi*. *Baccæ* Junip. *Semin.* Acetoſ. Card. b. Coriand. Frigida quatuor. *Liquores*. Acetum vini ſimplex vel calendulatum, roſat. ſambuc. Vinum, Spir. vini. *Aromata, gumm. animal. &c.* Bolus armen. Bezoar, Cinamom. Caryophill. Camphor. Corall. Cornu cervi, Ebur uſtum, Flores ſulphuris, Macis, Myrrha, Nux moſch. Margaritæ, Santala, Saſſafras, Terra ſigill, Succin. *Aqua* vegetabilium dictorum, aromatum, C. C. alexipharmacæ, prophylacticæ. *Sales* vegetabilium dictorum, maximè Card. b Abſinth. Scordii. *Extracta* vegetabilium eorundem. *Syrupi* Granat. Succi citri, Helenii conſervationis, Acetos. *Conſerv.* Anthos. Abſinth. Calend. Borag. Roſar. Meliſſ. *Condita* Cortic. Citri, Aurant. Helenii, Calami arom. *Rob.* Sambuci, Ribes. Berber. *Miva* cydon. *Pulveres* liberant. Aromat. Roſ. Diamarg. frig. Diatrion ſantal. *Troch.* de Carabe, Terrâ ſigill. *Confect.* de Alcherm. de Hyacinth. Theriac. Diaſcord. Mithrid. Elect. de ovo.

XXX. *Purgantium* ſummus hîc ſit delectus, lenia valde ſint, putredini inſuper malignitatique reſiſtentia, viſcera robo-

roborantia; cujus conditionis ſi per ſe haberi nequeant, aliorum mixtione talia reddi debent. Palmam hîc ducit *Aloë*, (in cujus locum in gravidis ſubſtitui poteſt Rhabarbarum,) ex quâ pillulæ quæ Ruffi vel peſtilentiales dicuntur, ſummi hîc uſus, imò Elixir quod proprietatis Paracelſi dicitur, præcipuè fiunt.

XXXI. Medicus dicta in uſum ducens, vel ea ut ſunt uſurpat, vel novam quandam formulam conſcribendo, à pharmacopœo, aut etiam ægri miniſtris, ſecundum ejus ductum novum, quoddam parari facit. Prius quod ſpectat, ex Antidotis, *Radices*, *Herbæ*, *Flores*, *Fructus*, *Cortices*, *Aromata*, uſurpantur ad placitum, manè maximè, maſticata, odorata, aut omninò devorata; Crocus in ſpeciè, ad ℈j. aut ʒß. exhibetur. *Liquores* omnes, ſivè deſtillatione parati fuerint, ſive infuſione, ſivè alio modo, vel naribus ſolis admoventur, ſpongiâ aut linteo excepta; vel inſuper pro lavamento faciei, & manuum uſurpantur, vel etiam cochleatim aut majori quantitate, pro cujusvis & liquoris & ægrotantis conditione, intus exhibentur. *Myrrhæ* ſummus & ferè popularis uſus eſt, ore dum detinetur, & quandoque portiuncula deglutitione interioribus communicatur. *Camphora* odore ſuo exterius multum valet; intus, licet rarius, ad ℈ß. exhibetur. *Margaritæ*, *Lapis Bezoar*, *Unicornu*, intus ſolum adhibentur, ad ℈ß aut ℈j. *Cornu Cervi præparatum*, *Ebur uſtum*, *Oculi cancri*, *Corallia*, *Succinum*, *Flores Sulph.* & maximè omnium *Terra ſigillata* ac *Bolus armena*, ʒj. pondere aſſumuntur. *Sales* maximi uſus ſunt, ad ʒß. aut ℈ij. dati. *Extractorum* eadem ratio, & doſis; niſi liquidiora fuerint, & potius eſſentiæ, ſic enim ut liquores alii uſurpantur. *Olea* liquori alii ad guttas aliquot miſcentur, vel ſaltem per ſe adſumuntur. *Syrupi*, *Conſervæ*, *Condita*, pro placitu ſumuntur, ſivè quantitatem ſpectemus, ſivè tempus. *Pulveres* & *Trochiſci* pulveriſati ad ʒj. cum liquore quodam,

dam, ſummo cum fructu adſumuntur. *Theriacæ, Mithridatii, Diaſcordii, Confectionis Alcherm.* ac de *Hyacintho*, ut familiariſſimus, ita & notus ſatis uſus eſt, ℥j. aut ℈iv. pondus ordinarium. Expurgantibus, *Aloë* ad ʒß. ſumitur. *Pillulæ Ruffi* ad ʒß. aut ℈ij. *Elixir p.p.* ad ℥ij aut iij.

XXXII. Formularum Extemporanearum quoad *Antidota*, hæc poterunt eſſe exempla, ad uſum externum.

℞. Ol. nuc. moſch. expreſſ. ʒij.
Extract. Angel. Zedoar. an. ℈ij.
Ol. aut extract. Junip. Succin. an. ℈ß.
F. *Balſamus odoriferus.*

℞. Lign. Rhod. ℥j. Santal. omnium an. ʒjß.
Rad. Ireos fl. Cyper. long. Zedoar. Angel. an. ʒij.
Flor. Borag. Roſar. Calend. an. ʒj.
Cort. Citri, Benſoin. an. ℈ij.
F. *Pulvis* groſſus, per ſe uſurpandus, aut in *Sacculo* exceptus, cordi applicandus, vel naribus pro odoramento offerendus.

Quod ſi pulvis hic in aceto maceretur, acetum linteo aut ſpongiâ exceptum naribus admoveri poteſt, aut etiam cordi applicari. Imò ſacculus in aceto ſi parum detineatur, & hinc dictis modis uſurpetur, multum efficit, & ſic nec acetum minoris uſus erit.

℞. Styrac. calamit. Ladan. Benſoin an. ℥j,
Caryoph. Macis an. ℈j.
Lign. Aloës, Flor. Lavend. an. ʒß,
Moſch. Ambr. an. gr. ij.
Tragacanth. in aq. roſ. ſol. q. ſ.
Therebinth. parum. F. *Pomum ambræ*, aut *globuli* filo alligandi, & manibus circum ferendi.

℞. Sapon. venet. ℔ß.
Menth. Majoran. Caryoph. an. ʒiß.
Irid. ſicc. Nuc. moſch. an. ℥ij.

Cum

Cum. aq. Lavend. incorporentur, pro *Smegmate* ad manûs & faciei lotionem apto.

XXXIII. Internè exhiberi poſſunt hæc aut ſimilia.

R. Raſur. C. C. ℥j.
Rad. Scorſon. Angel. Dictam. alb. an. ℥ß.
Zedoar. Helen. an. ℥j.
Herbar. Card. b. Abſinth. Centaur. min. an. m j.
Cortic aurant. & Citri ſicc. an. ʒij. Bacc. junip. ℥ß.
Sem. Aquileg. Fœnic. an. ʒj. Citri, Card. b. an. ℈ij.
Flor. Calend. m ß.
Raſur. C. C. ℥j. Paſſul. exacinat. ℥ij.
F. Pulvis groſſus, qui vel *infundatur* in Cereviſiæ, Vini, Aceti aut Spir. vini ſ. q. vel *decoquatur* in aq. hordei, & ſic uſurpetur, manè maximè, Cochleatim.

R. Conſerv. Roſar. rubr. Borag. Viol. an. ℥j.
Theriac. vet. Elect. de ovo, an. ʒij.
Conf. d. Alcherm. hyacinth. an. ʒj. m. pro *Electuario*, cujus quandoque, maximè manè, ſumatur pondus Nucis moſch.

R. Rad. Angel. Zedoar. an. ℥j. Helen. ℥ij.
Cort. citri. ſicc. ʒij. Sem. citri ʒj.
Spec. liberant. ʒ iß. F. *Pulvis* tenuis, cum liquore ad ʒj. aſſumptus, vel F. ex eo cum ſacharo ſoluto *Tabellæ*, quorum pro placitu una devoretur. Aut cum mucilagine Tragacanthi *Trochiſci* ſub lingua ſervandi, ut ſenſim deglutiantur ſoluti. Aut cum Melle deſpumato *Electuarium*, ut prius uſurpandum.

R. Raſur. Cornu Cervi ℥j.
Aceti deſtill. ℥ij. Miſce, coq. in leni calore, & F. *Gelatina* pro placitu itidem uſurpanda, per ſe aut cum ſucco Citri rec. & Sacharo mixta.

R. Aq.

R. Aq. Roſar. Scord. Borag. an. ℥iij. Meliſſ. ℥iv.
Cinamom. ℥ij. Spec. Diamarg. frig.
Liberant. an. ʒij.
Conf. de Alchermes. & hyacinth. an. ʒj.
F. Infuſione & colatura, *liquor* uſurpetur per ſe cochleatim aut cum Syrup. Berber. ℥ij.

XXXIV. Purgantium extemporaneorum formulæ novæ rariores hîc ſunt, ferè enim bis tervè in ſeptimanâ repetito uſu Pilularum peſtilentialium, aut etiam quotidiano Elixiris dicti ſolent Medici eſſe contenti. Poterit tamen & Infuſum parari in vino, ex Theſi 33. in principio allatis, additâ ʒj Aloës, Rhabarb. aut Agarici, cujus ℥iij dentur manè. Vel ſi cui placeat, ex decoctuo ibi præſcripto, colato, additâ ʒj Aloës, evaporatione, maſſa poterit parari, pilulis apta.

XXXV. *Chirurgiæ* hîc exiguus habetur uſus, Venæ ſectio tamen in plethorico non minimum conferre videtur, ſimiliter ac fonticulorum in cruribus & brachiis ſumma commoda experimur. Atque hæc de Prophylaxi Peſtiferæ luis breviter propoſuiſſe ſufficiant.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I.

Elementum ſimplex nutrire poteſt.

II.

Omnes partes non nutriuntur ſanguine.

III.

Humores & Spiritus non ſunt partes corporis.

IV.

Chyli motus ex receptaculo per ductum Chyliferum in Cor, valde probabilis, imo certus videtur.

F I N I S.